

CÆSAREÆ MAJESTATIS VESTRÆ, Gloriosissimo Imperatori MAXIMILIANO I. in currum triumphalem evecto, ducentis abhinc annis inscripsit Consiliarius Cæsareus & Patriæ Senator literatissimus *Bilibaldus Pirckheimer*, nostras itidem *Albertus Dürer*, qui ob præstantiam artis, Germaniæ Apelles appellari meruit, Senatoris ad Inventum graphicè effinxit; Atriique majoris curiæ patriæ parietes amplissimè protentâ effigie ista etiamnùm superbiunt: Et Divus MAXIMILIANUS Inventionem istam *MAJESTATI SVÆ* summe placuisse, Oeniponte datis anno 1518. d. 29. Martii literis Clementissimè rescrispsit.

Semiseculo ante, Uraniæ lumen, magnus ille *Regiomontanus* cum *Bernhardo Walthero* cive Norinbergensi, præter astra reliqua, in *SOLEM*, illorum Choragum, potissimum invigilare indeque heic Norinbergæ prima Astronomiæ purioris fundamenta suppeditare, annisi sunt.

Ne labores conterraneorum, tertio abhinc seculo cœpti & exantlati abirent incassum, ego triginta sex ab annis antecessorum laudatorum conatus sub eodem Meridiano (quod organis satis idoneis vix usquam gentium è tanto temporis intervallo fuit tentatum) resumens & prosequens, aliquot observationum Solis meridianarum colligo millia; utque fructus ex vetustiorum collatione cum recentioribus istis carperentur maturiores, ex meritis Norinbergæ observatis, pro requisita Uraniæ basi, veriorem urbis Latitudinem ex elevationibus Poli & Æquatoris, obliquitatem Eclipticæ, & regioni nostræ imminentis auræ refractivæ constitutionem medium exploravi, tandemque in ipsius Astronomiæ fundamentum firmius, *Motus Annui* rationes inde deduxi certiores, & evidenter demonstratas, pro usu privato, aliorumve Astrophilorum concinnavi in tabulas, revisione vel decies iteratâ absolutas, quarum numeri, quotidie continuatis observationibus Solis meridianis hactenus satis comprobari pergunt.

Conamina præparatoria, quæ Geographis unà prodesse queant, jam ante vicennium & quod excurrit, edideram, cum ultimis istis nunc denuò subjunctim repetenda: postquam autem circa initium præsentis, quod agimus seculi, intentioni palmariæ, incremento Astronomiæ potissimum inservituræ, manum addideram ferè ultimam, indeque enatorum conditio, rerum coelestium curiosis innotuerat, eorundemque communicatio subinde fuerat expetita: votis illorum ut annuerem, equidem erat animus